



Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Maxellendis V. M. 13. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

620 *Vitæ Sanctorum.* 13. NOV.
capax animulus, mundoque valere
jusso, DEO & aris se addixit. Ab his ad
Pontificatum Colonensem elevatus
est, bonis utique avibus, quando sacri-
ficantis caput ambire candidissima è
cælo columba visa est. Obiit cæli deli-
cium & amor civium anno DCLXIII.
& amare se vicissim hos mortuus ostē-
dit, cum grassantem urbe ignem & jam
D. Petri basilicam expugnantem pres-
fit domuitque. Neque mirum hoc no-
bis videtur; majores & Veneris fami-
lias puer jam vicit. Ex Surio.

S. MAXELLENDIS V. M.
13. Novembri.

Supra & sexum & ætatem MAXEL-
LENDIS Cameracensis virguncula
sapuit, crepundia rata, quidquid ma-
gnum orbis oculis ostentat, & genero-
rio fastidio omnia terræ nauseans, uni-
cælo arridens. Quid, quod neendum vi-
ro, sed cælo tamen matura se lubens
volens huic despondit? Itaque sero ni-
mis poste à filiam in manus dare Har-
tuino juveni nobili & prædiviti paren-
tes constituerunt. Noctem enim illa
pro consultatione cum petiisset, eique
qui optima suaderet, Tutelaris Ange-
lus intervenisset, in eam denique sen-
tentiam virgo animus ivit, ne detri-
menti quidquam virginitas caperet,
omnia & agere & pati, quin vitam po-

13. NOV. *Vitæ Sanctorum.* 621
tius ipsam quām pactām Christo fidem
prodigere. Nec multò pōst, duce pessi-
mo amore, bellum movit virginitati
Hartuinus, & cūm absentibus parenti-
bus ædes castissimas expugnasset, pro-
ditæ ab ancillulâ MAXELLENDI & e
latebris protractæ, ubi florem non po-
tuit, vitam abstulit. Verūm, ut videret
sub quo stipendio mereret, oculos eo
ipso in loco amisit, nec nisi post tertium
annum, quando ad tumbam virginis
veniam sceleris rogavit, recepit, reapse
id edoctus, quod nequaquam Poëtæ
mentiantur, tyrannum esse amorem &
cœcum. *Ex Surio.*

S. HOMOBONVS CONE.

- 13. Novembri.

Fecit HOMOBONVS nomini vitam
respondere. Neq; adeò huic rei con-
jugium, quo implicatus fuit, neq; mer-
catura, quam exercuit, obstitit. Quin
tum demum non sterilem se putavit,
cūm patrem illum miseri appellarent,
tum lucrum se fecisse, cūm iis, qui neq;
unde persolvant, habent, pauperibus
rem credidisse. Multum illi eam ob-
rem uxori negotii faceſſivit. Sed huic
identidem ille occinebat: neminem
unquam quantumvis prodigum inege-
nos ad incitas redactum esse: plus dan-
do accipi, quām dari; tutissimum ar-
rium esse, pauperum ſinum: quod his

R 3 de-